



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 82. Cardinales nonnisi liberato prius Ferrerio Cardinale, Conclave intrare volentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæc. XVI.
A.C. 1521.

§. LXXXII.

*Cardinales non nisi liberato prius
Ferrerio Cardinale, Con-
clave intrare vo-
lentes.*

Interea Cardinales Grimanus, Soderinus, Cedunus, Gonzaga, & Ferrerius seu Hipponensis suo quisque loco, ubi morabantur, sese itineri committabant, Romam ituri; cum vero Prosper Columna Ferrerium, quod Gallis faveret, captivum Papiæ detineret, Purpurati una omnes ad Hieronymum, Moronum, Roctium, aliosque Mediolanensium Barones literas dare compellebantur, quibus significabant, se nunquam nisi Cardinalis liber dimitteretur, conclave ingressuros. Interim iusto summo Pontifici de more persolutis die undecima Decembris in Palatio Decani Sacri Collegii generalis habebatur Congregatio, in qua de rebus actum, quæ ipsum Conclave, ac præcipue Vaticanæ Palatii custodiam concernebant; non deerant enim, quibus Comitibus Rangoni nominatio minus probabatur, imo eandem omnino nullam declarari postulabant: unde duo ex Columnensium familia, nimirum Vespasianus, & Prosper junior, totidemque ex Urfinis præ-

præter Ludovicum Petiliani Comitem, Sæcul. XVI.
A.C. 1522.
& Laurentium Cajetanum feligebantur, qui omnes quatuor in se curam susceperant, ut suppeditatis pecuniis, cuncta pro conclavi necessaria subministrarentur; cum vero Pontificis ærarium esset exhaustum, Cardinales pecunias mutuo accipere decernebant, eisque etiam Thomas Righi Cameræ Clericus duo Ducalium millia totidemque alius quidam absque ullo fœnore numerarunt.

§. LXXXIII.

Cardinales conclave ingressi.

Alia habebatur Congregatio die decima sexta Mensis Decembris in Basilica S. Petri in Sacello Sixtino. Pet. Deiph.
l. 12. ep. 50. In hac conclavi initium esse dandum decernebatur, simulque cunctis, quæ ad portarum custodiam requirebantur, dispositis, reliquum diei colloquiis impendebatur, quibus Regum ac Principum Oratores honorati fuere. Die vigesima septima ejusdem Mensis Purpurati, re divina de Spiritu Sancto peracta, conclave ingressi sunt: Erant numero triginta novem, nec unquam Sacra hæc comitia majori Cardinalium frequentia magis erant conspicua. Primo quidem levis oriebatur contentio de schedarum